

PHILOSOPHICVM

SPECIMEN

DE HOMINE

AUCTORE

P. F. ANDREA DOROTICH

ORD. MIN. SACRAE THEOLOGIAE

LECTORE GENERALI.



VENETIIS MDCCXCV.

1795.

Typis Simonis Cordella.

SUPERIORUM PERMISSU.

• 172 •

2012 RELEASE UNDER E.O. 14176



P R A E F A T I O.

QUAMVIS perexiguum opus hoc sit , quod in praesenti , Lectissimi Discipuli , oculis vestris subjicio , dubitare tamen non possum , quin , si causam hujus mei consilii perpenderitis , quidquid laboris , atque industriae in illo perspicietis , aequi bonique facturi sitis . Enim verò quam Philosophicam de Homine doctrinam longà , ac desudatè Dissertationum serie contentam elapsis annis vobis traxi , eamdem compendiosis enunciatis arctè comprehensam vobismetipsis hoc tempore exhibeo . Quorsum autem ? Ut probè intelligatis , quam immerito obrectatores mei adversati mihi fuerint , meamque existimationem in discrimen adduxerint ; cum quosdam ex memoratis ennunciationibus tamquam a veritate alienas , ac publica luce indignas arguere , ac reprobare non dubitarunt : Quas postea universas justi rerum extimators adeò probarunt , ac laudarunt , ut easdem palam defendere , ac propugnare , praeclarum , et gloriosum esse judicaverint . Quocirca , ne videar

tuendo , ut ait S. Hieronymus , crimen agnoscere , et ne illi
 lenitatem meam malat conscientiae signum interpretentur ; ea
 ipsa enunciata , quae male ab ipsis audiverunt , publici juris
 modo facienda curavi . Unde discens , ut idem Hieronymus
 ait , obrectatores mei recipere in toto , quod in partibus suscep-
 perunt . Libenter ergo hoc , qualecumque est , Philosophicum
 specimen excipite , bonique consulite : sic enim vestri Ma-
 gistri existimatio immerenter vexata in vestris mentibus re-
 florescat , et perspicuum constantis meæ in vos benevolentiaæ
 monumentum existet .



18

KNJIŽNICA
Franjevačkog Samostana
— SUMARTIN —

Br. _____



PROPOSITIONES PRAELEMINA RES.

I. **A**ctionem duo distincta genera cognoscimus : nemp̄ motum localem, aut conatum ad motum, et cogitationem.

II. Hinc errat Hobbius, omnes omnino actiones ad unicūm motū pertinere, existimans;

III. Quemadmodum et Cudworthus, tertii cuiusdam generis in natura actiones, effutiens.

IV. Quocirca duplex substantiarum genus dumtaxat dari in rerum natura propugnamus; nemp̄ Materiam, & Spiritūm (1).

V. Undē pessum ire eorum opinio videtur, qui Materiam, quam primoprimam vocant, admittentes, eamdem neque corpoream, neque spiritualem esse volunt.

VI. Ad primum substantiarum genus spectat humanum Corpus, cuius existentiam denegare, est prorsus animo despere :

VIII.

(1) Huic nostrae propositioni favet doctrina S. Augustini inquitatis: quidquid corpus non est; et tamen aliquid est, recte jam spiritus dicitur. Lib. 12. super Genes. n. 16.

VII. Ad secundum verò Anima humana, cujus pariter existentia, nonnisi per summum nefas, denegari potest.

VIII. Hæ binæ substantiæ hominem constituunt, quem compositum dicimus ex anima, et corpore, non vero tertiam quandam substantiam, ut minus rectè aliqui sentiunt (2).

De Hominis Corpore.

I. Humanum Corpus est aggregatum substantiarum inter se consociatarum, quæ compositum unum efficiunt, non autem unam substantiam.

II. Potest nihilominus humanum corpus unum substantiale vocari: quatenus in ipso, natura operante, substantiæ simplices circa humanam industriam, per modum contiguitatis, mirabiliter coalescant (3).

III. Ipsum porrò nec ejusdem esse cum Deo substantiæ, neque Dei partem, aut modificationem, contra Pantheistas tuemur.

IV.

(2) Passim philosophi habent, Scotorum nostrum docuisse, totum, seu compositum tertiam esse quamdam substantiam a partibus simili conjunctis realiter distinctam. Sed immerito. Nam id ex ejus libris non colligitur. Quinimmò ex lib. 2. Phy. q. 9. ubi fuse, et ex professo rem hanc pertractat, oppositum eruimus. Aliis vero in locis, sicuti in lib. 3. sent. dist. 2. q. 2., incidenter tantum aduersus Aristotelis commentatorem id docet, eumdem urgens ex absurdis. Aretini præterea falsam dicimus interpretationem super Scotti doctrinam, quam si examini subjeccisset, non ea profecto in Scotorum dixisset, quæ dixit.

(3) Per modum contiguitatis inquimus, quia contactum in rerum natura dari, proorsus repugnat.

IV. Humani corporis partes præcipuæ sunt Ossa , Nervi , Musculi , Arteriæ , Venæ , Vasa Lymphatica , Cerebrum , Cerebellum , Medulla spinalis , Cor , Pulmones , Ventriculus , Pancreas , Hepar , Lien , Intestina , Mesenterium , tandem partes quædam fluidæ . Quæ sane omnia non tam sunt organa , quam organorum congeries (4).

V. Ac primo quidem ossa , quibus tota humani corporis machina innititur , omni sensu destituta esse , experientia constat .

VI. Ex cerebro , et cerebello , quæ principalissimæ sunt in humano corpore partes , medullam dorsalem ejusdem penne substantiæ usque ad os sacrum distendi , omnesque sensuum nervos originem ducere , anatome periti docent . Nervos proinde esse instrumenta ad reliquorum membrorum motum necessaria , ut sine ipsis fiant omnino inactuosa , asserimus (5).

VII. In eis insuper contineri fluidum nerveum , quod spiritus vitales audit , non immerito defendimus : quum id a tota

(4) De singulis hisce partibus integri extant apud anatome peritos tractatus , et unaquæque pars suam habet particularem provinciam : ut Osteologia , quæ ossa ; Neurologia , quæ nervos ; Myologia , quæ musculos ; Angiologia , quæ arterias , venas , aliaque vasa ; ac tandem Splanchnologia , quæ reliqua humani corporis viscera considerant . Nos autem eas tantum partes considerandas suscipimus , quæ humanarum actionum sunt causæ præcipue , et instrumenta .

(5) Quadragesita in humano corpore numerantur nervorum parva : quorum priora decem a cerebro , et cerebello , reliqua vero a medulla spinæ dorsalis derivantur , ac per totum corpus , membra , artusque in plures ramos divisi sparguntur . Porro singulos nervos constare veluti fasciculo tuborum cylindricorum , cum Heistero (anatom. num. 301.) tenemus .

tota antiquitate , et plerisque etiam recentioribus cum Boerhaave , et Haller admissum legamus .

VIII. Dicimus pariter à natura musculos , fasciculos nempe illos diversæ speciei fibrarum plurimos , destinatos esse ad omnes in humano corpore motus peragendos : eorum nimirum contractionis distractionisque ope (6) .

IX. Venæ , atque arteriæ a corde originem habent , quæ per totum distenduntur corpus , ac in minimas corporis partes insinuantur . Porro per has continuo , perenniterque rubicundam substantiam , quam Sanguinem vocant , circulari , experientia constat . Sanguinem itaque ad omnium partium humani corporis motum inservire dicimus .

X. Perennis hujusmodi circulationis causa proxima est vis illa , motusque cordis , atque arteriarum elastica , una , et mechanica valvularum positio , alterna pulmonum sese dilatandi , contrahendique vicissitudo a respirato aere , et pressione ipsa pectoris pendens .

XI. Sanguinea illa in venis , arteriisque substantia componitur , adaugeturque ab escis , quas exedunt homines (ope nimirum digestionis) , quæ prius in chylum , et postea in Sanguinem convertuntur totum irrigando corpus , nutriendoque . Quomodo autem digestio , seu ciborum solutio peragatur , quæque sit ejus causa , non abs re erit determinare . Veteres itaque olim communiter opinati sunt , eam solius ope caloris peragi posse : recenter vero Archibaldo Pitcarnio

pla-

(6) Galenus de formatione foetus sex mille fines muscularum , ad quos destinati sunt , considerat , alii autem multo plures . At nos hanc recensemus , qui et alias comprehendit , et manifestius patet .

placuit, solà in stomacho animalis, perfici tritura mechanica, quibus non assentimur.

XII. Illa enim absolvitur tum ope moderati caloris, tum trituræ, cum denique cujusdam liquoris *gastrici*, seu spiritus acidi, atque salivalis in ventriculo residentis, qui præcipuas ad id rei obtinet partes.

XIII. Liquor iste insuper vera est famis causa, eo quod acrimoniâ suâ, deficientibus in Ventriculo cibis, nerveam tunicam ipsiusmet Ventriculi pungit, vellicat, quadamque rodit molestia.

XIV. Humoris pariter salsi vellicatio in fancibus, Æsophago, et Ventriculo provocat sitim, seu liquorum appetitiam.

XV. Vim aliquam motricem humano inesse corpori, nullus, qui vel minimum anatomicis scientiis sit instructus, negabit.

XVI. Quam porro in organico ipsius corporis mechanismo, textura, tenacitate, tensione, flexibilitate, complicacione, atque in fluiditate illius substantiæ, quæ corporis organa irrigat, inflat, distendit, multiplicique alia afficit ratione, consistere propugnamus.

XVII. Sensuum organa in humano corpore consideratu valde digna censemus. Quæ porro nec plura, nec pauciora sunt, quam quinque: nempe Visus, Auditus, Olfactus, Gustus, et Tactus.

XVIII. Quarè G. Lamii autumantis, tres alios sensus ab enumeratis distinctos dari; Famem videlicet, Sitim, et Venerem voluptatem, falsam dicimus opinionem.

XIX.

XIX. Organum visus putarunt nonnulli in humore, quem chrysallinum dicunt, esse primariò statuendum. Ast immeritò: cum desint in eo requisitæ ad visionem perficiendam conditiones:

XX. Quæ nec minus deesse videntur in illo integumento, quod choroidem vocant.

XXI. In tunica itaque reticulari præcipue visionem fieri propugnamus, cum illa sit inter oculi partes, quæ lucis impressiones recipere, et ad cerebrum propagare queat.

XXII. Organum auditus constituant fibræ, quæ ex molliori nervi acustici ramo deductæ, per cochleam, ejusque spiras, per canales semicirculares, aliosque Labyrinthi anfractus disperguntur.

XXIII. Olfactus organum situm esse dicimus in nerveis papillis, per membranam interiores narum anfractus vestientem dispersis (7).

XXIV. Sunt autem, quæ hujus organi proprias excitant sensationes sulphureo salinæ particulæ, quæ a corporibus avolantes perque aerem dispersæ, ad nares perveniunt.

XXV. Gustus organum consistit in papillis nerveis, quæ

a quin-

(7) Papillæ sunt molles, medullares, ac nervez prominentiæ, seu projecturæ, sub cuticula, seu Epiderme undique dispersæ. Componuntur ex nervis subcutaneis, qui, exuentes primò suam exteriorem membranam, majorem in modum postea molles, sensibilesque efficiuntur. Majorem habent prominentiam in illis partibus, quæ specialiter ad tactum pertinent. Contrahuntur vel ad minimas impressiones, ac denud elasticitate propria restituuntur. Oblinitæ tandem veniunt humore quodam penetrabili, ad earum mollitatem conservandam, sotfq[ue] cuticulâ, seu æpiderme cooptæ. Hæc papillarum explicatio a Malpighio primo inventa est, dein vero a pluribus Anglicanis Auctoribus illustrata.

a quinto nervorum cervicalium pari profectæ per linguam inæqualiter disperguntur.

XXVI. Hujus vero organi sensations excitantur a sa-
linis sapidi corporis particulis , quæ dictas nerveas afficiunt
papillas .

XXVII. Organum denique Tactus positum est in reti-
culari corpore Malpighiano (8).

XXVIII. Hujus organi objectum sunt corpora omnia ,
quæ sensus nostros afficere valent .



De hominis Anima .

I. Anima hominis est principium illud , quo homo per-
cipit , judicat , ratiocinatur , vult , verbo , cogitat .

II. Porro hoc cogitationis principium veram esse sub-
stantiam , seu subjectum suarum compos operationum inde-
pendenter a quocumque inhæsionis subjecto , nemo , nisi sin-
cipientis expers , inficias ibit .

III. Hanc insuper substantiam spiritualem esse , et ab
ho-

(8) Tactus communis est aliis sensibus : neque enim ulla sensatio
haberi potest absque aliqua impressione ; seu aliquo tactu . Hinc Tul-
lius lib. 11. de natura Deorum cap. 56. tactum , scribit , per totam
corporis machinam distendi , ut in qualibet parte impulsum experi-
possimus . Quid sit corpus Malpighianus patet ex adnotatione 7. ad pun-
ctum XXIII.

hominis corpore, ejusque affectionibus prorsus distinctam, atque diversam, validissimis innixi rationibus, propugnamus;

IV. Imò talem, ut ejusdem cum Angelis, cœlestibus nempà spiritibus, naturæ sit (1).

V. Quocirca Auctor libri *L'homme machine*, hominis animam purum esse vocabulum, quo, ad illam partem corporis designandam, usimur, quæ in nobis cogitas, nec ab organica cerebri structura ullatenus ipsam discriminari: innuens, turpiter errat:

VI. Quemadmodum, et Freret, qui falso conatu nititur evincere, animam hominis nil esse aliud præter integrum viscerum humani corporis compagem, vigoremque membrorum:

VII. Nec denique minus impie Auctor execrandi libri, *Système de la nature*, blaterat hominis animam ipsummet humanum esse corpus, prout peculiares quasdam ab eo peragi actiones observamus.

VIII. Discrimen namque maximum hominis animam inter, et corpus ex tota antiquitate professos fuisse homines, illamque perstare posse, et vitam agere independenter a corpore persuasum habuisse, vel recens auctor, Materialistis minime invitus, testatur (2):

IX.

(1) Quod egregie confirmat S. Augustinus inquiens: *Anima sunt enim rationales, et illis superioribus (idest Angelis) officio quidem impares, sed natura pares.* Lib. 3. de libero arbitrio cap. 11. n. 32.

Et enarratione in Psalm. 145. num. 4. sic scribit: *Res spiritualis est, res incorporea est, vicina est substantia Dei.*

(2) De l'ame on voit que les hommes en on fait de bonne heure une substance distinete du Corps qu'elle anime, & capable d'exister par elle-même.

Dé l'ame & son immortalité (par Mirabaud) A Londres 1778.
pag. 13.

IX. Nobis autem, præter hanc antiquitatis vocem, cogitatio potis est ratio, ac præcipuum argumentum ad hujusmodi discrimen dignoscendum (3).

X. Cogitandi itaque vim adeo hominis animæ propriam esse propugnamus, ut materiei nulla ratione convenire queat.

XI. Ex hac porrò mirabili cogitandi virtute metaphysicam de animæ spiritualitate gloriamur habere certitudinem; decipitur idcirco materialistarum fautor Francissus L. . . . inquiens (Medit. Filos.) ne abbiamo fisica certezza, maggiore nō.

XII. Pugnantia quoque docent Hobbius, Tollandus, Helvetius materiei cogitationem competere garrientes;

XIII. Quorum doctrinam ut magis confirmant Lokius, Woltairius, aliique ad divinam recursum habent infinitam virtutem, atque potentiam; sed ita somniat gens ratione carrens, et mentem pastia chimarisi:

XIV. Semel enim ac perspectum habemus, quascumque materiei operationes unico motu contineri; nec Deus ipse potest efficere, ut eidem materiei cognitio competit.

XV. Eximant capropter serupulum omnem Materialistæ hujusmodi, qui alias humana, divinaquæ omnia susque de que vertentes, hic veneno armati, simulato agitantur zelo, ne

(3) Praeclare hic ad rem nostram Cartesius: omne inquit, quod potest cogitare est mens (idest Anima) . . . sed cum mens, et corpus realiter distinguantur, nullum corpus est mens: ergo nullum corpus potest cogitare, Resp. ad 2. Obj. §. Præterea &c.

ne Divinam limitibus circumscribant potentiam: non enim **Divinae potentiae ea objectum esse possunt, quae intrinsecam contradictionem iuvolvunt.**

XVI. Hominis anima non esti quatuor elementorum harmonia, ut Dicæarchus, sensuum coexitamentum, ut **Asclepiades, levium atomorum compositum, ut Democritus, aut quidvis ejusmodi, ut alli somniarunt.**

XVII. In ipsa siquidem nullum corruptionis, vel dissolutionis principium extat; quemadmodum in materia:

XVIII. Cum enim sit spiritualis substantia, a provido naturæ Auctore Deo immediate per creationem fieri, perspicuum est.

XIX. Cumque creatio nullam præexistentem materiam supponat; ex nihilo sui, et subjecti ab ipso Deo animam educi, ratio ad evidentiam usque ostendit (4).

XX. Quocirca dicimus, in tanti momenti doctrina, admodum errasse **Gregorium Ariminensem, Joannem Bassolum, et ex parte etiam Gabrielem Biel contrarium docentes.**

XXI. Sicut et perditissimos homines Voltarium, et Jacobum Rousseau, qui ut substantiam omnem æternam esse inferrent, Deumque, animamque hominis è medio tollerent, dubitare adnisi sunt, inum aliqua substantia ex nihilo sui, et subjecti creari possit (5).

XXII.

(4) Idipsum docet S. Augustinus inquiens: Ita quippe Anima vel de flatus facta, vel Dei flatus factus est ipsa, ut non de ipso, sed ab ipso de nihilo creata sit: Lib. 1. de Anima, ejusque origine cap. 4. num. 4.

(5) Hi doctrinam hanc commenti sunt, intixi principio: ex nihilo nihil, et in nihilum nil redigi posse.

XXII. Plato, Averroes, Thomasius, aliquis, qui *Mundi animam esse animarum omnium fontem*, seu cunctos informare homines, opinati sunt, pugnantia docent:

XXIII. Quemadmodum, et Origenistæ, Tertullianus, aliquis, animam ex parentibus in filios per traducem propagari, arbitrantes.

XXIV. Stoici Manichæi, Priscillianistæ, ac tandem Benedictus Spinoza, *Animam ipsum Deum, vel divinæ substantiæ particulam, seu modificationem esse docuerunt. Sed o impietas maxima!*

XXV. Spiritualis, et indefectibilis animæ humanæ natura hanc sibi vindicat proprietatem, ut sit intrinsecè immortalis.

XXVI. Non inde tamen quis inferat eamdem extrinsecè quoque propria ex natura immortalem fore. Est quippe creata, ideoque a Condитore suo, ut sit, et conservetur, pendet.

XXVII. Scimus nihilominus, naturali ratione duce, Dei Conditoris Optimi, et Sapientissimi voluntatem esse, hominis animam in æternum conservandi.

XXVIII. Quare animæ immortalitas non est Legislatorum, ad populos in officio coercendos inventum, aut Sacerdotum terriculamentum, ut tota Incredulorum, ac Libertinorum cohors ubique blaterat.

XXIX. Nec absque temeritatis nota dicet quispiam, eamdem animæ immortalitatem solo fidei lumine innotesceret: quum falsum omnino sit illud Incredulorum dictum secundum philosophiam mens humana mortalis dicenda est.

XXX. Hominis animæ existentia ab ejus non distinguitur vita: hæc in actione sita est: actio Animæ est cogitatio: quamdiu ergo existit anima perenniter cogitat (6).

XXXI. Nec ei unquam desunt cogitationis objecta: cumque in percipiendis iisdem sit causa necessaria, non sine inscitiae nota eidem cogitandi perennitas denegari poterit (7).

XXXII. Eapropter ferendus nobis non est error Materialistarum, Freretii præsertim, contendentium, quod hominis anima, absque corpore, corporeisque sensibus, nec perciperet, nec vellet quidquam; sed quodam veluti sopore teneretur:

XXXIII. Distinguendæ enim sunt operationes hominis ab operationibus animæ propriis. Illas quidem nequit anima seorsim a corpore exercere: has tamen, quæ naturam ejus

se-

(6) Hæc est quoque S. Augustini doctrina, qui ita scribit: *Ere autem animus vita quedam, unde omne, quod animatum est, vivere, omne autem inanime, quod animari potest, mortuum, id est vita privatum intellegitur . . . Nam si carere poterit vita (anima) non animus, sed animatum aliquid est.* Lib. de Imm. Animæ cap. 9. n. 16. Eadem etiam doctrina esse debet D. Thomæ, qui negat intellectum agentem aliquando in actu, aliquando non in actu esse posse (Sum. Theol. p. p. q. 79. art. 2.) Alibi vero (In 3. de Anima textu 14.) dissertè scribit, *intellectum agentem esse substantiam actu ens; nisi dicere quis velit, ipsum non consentaneè ad sua principia ratiocinari; quod nefas est.*

(7) S. Augustinus docet, Animam sibimetipsi posse esse objectum suarum operationum, et quidem tale, quo intimus non possit excogitari: *Seipsam, inquit idem S. Doctor, primitus ingrata miretur (MSS. novem, seipsam primitus mirata miretur), seipsam paululum, si potest ad tollas a corpore, et ab eis rebus, quas solet sentire per corpus, et vident ipsa quid sit, qua utitur corpore . . . Intendat hæc anima rationalis, et sensus corporis, non sensibus corporis, sed ipsa mente arque ratione consideret.*

sequuntur, quæque purè spirituales cum sint, ab essentiali sibi propria agendi virtute profluunt, absque corpore pergit, imò liberius (8).

XXXIV. Porrò *animæ operationes*, quæ cogitationis vocabulo a Philosophis exprimuntur, pro reali *animæ essentia* constitui nequeunt.

XXXV. Hinc a Cartesii sententia recedentes *Animæ realem* essentiam imperviam prorsus esse tuemur.

XXXVI Quandonam primò hominis *animæ existentiam* recipiunt? Pythagoras, Plato, aliique docuerunt, easdem fuisse in Astris, seu in Mundo intelligibili collocatas; dein verò in corpora velut in carcere, ad luenda patrata in astris crimina, fuisse detrusas. Sed apagè commenta.

XXXVII. Wolfius, ejusque sectatores innuentes, *animas omnes temporis initio fuisse conditas*, propriisque inclusas organicis corpusculis in lumbis Adæ, vel ovario Hevæ delitescentibus: nec isti rectè sentiunt:

XXXVIII. Illæ siquidem *creantur successivè*, corporibusque infunduntur, cum hæc ad sufficientem pervenerint organizationem (9).

XXXIX.

(8) Hominis operationes jure, meritoque *humanas* dixit P. Joseph M. Costa ad distinctionem earum, quæ propriæ sunt *animæ* (de Religione adversus Incredulos lib. 1. de Immort. Animæ Concl. 2.) Cui etiam suffragari videtur S. Augustini doctrina, cum docet *Spiritus* (*animas intellige*) *sine corporibus carnali cogitatione non posse cogitare*, quasi diceret *humanas non valere operationes exercere*. Lib. de Trinitate cap. 2. n. 3.

(9) Hac de re inquit S. Hieronymus: *Animam figurato corpora statim creari, et immitti*. Apol. 2. adv. Rusin.

XXXIX. En itaque ex anima et corpore compositus homo , in cuius omnibus individuis collectivè sumptis non est una numero anima , ut Peripatetici Arabes , ac præsertim Averroes opinati sunt :

XL. Neque in quolibet hominis individuo aut simul , ut Galenus ; aut successivè , ut alii docuere , plures reperiuntur animæ , **sed in singulis hominibus una est , eaque rationalis ;**

XLI. Cujus præcipua Sedes collocari non debet , vel in toto capite , ut docuit Plato cum Democrito : Vel circa caput , ut Pythagoras ; aut in ventriculo cerebri , ut Herophilus : **aut in glandula pineali , ut Cartesius ;** neque in arterioso cordis ventriculo , ut Diogenes ; aut in sanguinis concretione , ut Empedocles aliique somniarunt . Erit ne ergo anima propria entitate , per totum corpus diffusa , ut Peripateticis placuit ? **Minime . Sed in ea tantum residet cerebri parte , ex qua nervi omnes originem ducunt .**

XLII. Veram nihil minus unionem , verumque animam inter , et corpus dari commercium , unde profluant operaciones , quas humanas diximus (prop. XXXII) , experientia , et ratione constat .

XLIII. Ad commercium istud explicandum tria excogitarunt Systemata Philosophi : **Causarum occasionalium scilicet , quod utpote incertum , internoque conscientiae testimonio contrarium rejicimus (10).**

XLIV.

(10) Auctorem fuisse hujus Systematis Cartesium , omnes ferme philosophi docent . Ast nos ipsiusmet Cartesii verbis innixi secus arbitram

XLIV. Tum harmoniae præstabilitas; quod itidem conscientia testimonio, certis, atque inconcussis principiis, factis, ac experimentis opponi, coque Commercium explicari neutiquam posse, tuemur:

XLV. Eo vel maximè, quia ipso præstructo tollitur humana libertas quoad motus corporeos, aliaque innumera absurdæ inde sequuntur:

XLVI. Demùm influxus physici, quod utique systema (dummodo, Aristotelico probè expurgetur cœno) ceteris præferendum esse videtur:

XXVII. In hoc explicatur Commercium, quatenus anima voluntate sua, pro libitu, vim corporis motricem (prop. xv; et xvi.) determinat, Corpus vero Animæ præbet occasionem, ut vim sentiendi necessariò exerat: tametsi modus, quo hæc fiant, ignoretur (ii).

XLVIII. Considerandæ nunc sunt facultates Animæ, intellectus videlicet, atque voluntas. Ad intellectum pertinent ideae, seu modificationes, et est in homine potentia necessaria. Voluntas autem libera est libertate indifferentiæ circa bona, et mala finita.

XLIX. Tametsi nec bonum sub ratione boni suspuere, nec malum, quæ malum amplecti valeat.

L. Eidem libertati neque astrorum influxus, si qui tam est, neque Divina Prescientia quidpiam detrahit;

LI.

tramus. Legatur Epistola, quam scribit is ad Henricum Morum, et altera ad Elisabetam Principem Palatinam. Tom. 4.

(ii) Modus, Inquit, s. Augustinus, quo corporibus adharent spiritus, et animalia sunt, omnino mirus est, nec comprehendendi ab homine potest. Lib. 21. de Civitate Dei cap. 10. num. 1.

L.I. Sicuti **nec ratio sufficiens**, quā semper ducitur, quæque in agentibus liberis non semper objectiva, sed quandoque etiam subjectiva est.

L.II. Quid porrò est, quod in suis volitionibus verè liberis, ultimò determinat voluntatem? Non judicium *practicum*, ut vocant, intellectus; neque bonum, vel malum finitum repræsentatum; **sed ipsa est voluntas, quæ proprià vi, et energiâ sese juxta boni, vel mali repræsentati rationem sibi propriam ultimò determinat.**





PROAEMIUM

QUI superioribus annis de homine, deque duabus substaniis, quibus ipse constat, disseruimus, earumque naturas pluribus propositionibus determinavimus, ii nunc meritò de humani
actionibus disserere, earumque naturam perscrutari adgredimur; ut indè hominem ad illam, et hujus temporaneae, et alterius aeternae vitae veram felicitatem

tem facilius perducamus, ad quam uniusque se naturā suā comparatum , et determinatum cognoscit , quamque non nisi rectā suarum operationum institutionē sibi comparare potest . Sed quoniam quaecumque in homine sunt actiones, eae dumtaxat vel physicè , vel moraliter considerandae veniunt ; hinc hoc duplii humanarum actionum statuto genere , physico scilicet , et morali , primum nobis agendum est .





DE HUMANÆ NATURÆ PHYSICIS ACTIONIBUS.

I. **A**ctio physica nil aliud est nisi activæ potentiaæ exercitum. Undè quandiu humanæ naturæ potentiae activæ exercentur, tamdiu eas, sive in Anima, sive in Corpore inspectas physicè agere adfirmamus. Sunt autem duæ in hominis **Anima** activæ potentiaæ; nempe Intellectus, et Voluntas;

II. Atque utriusque potentiaæ operationes sunt actiones in **Anima** immanentes, non verò transeuntes.

III. Actiones autem hujusmodi quadruplici sub aspectu a Philosophis communiter considerantur; nempe alia Simplex Perceptio, alia Judicium, alia Ratiocinatio, denique Methodus alia dicitur. Nostrà autem sententia ad duas specie diversas classes contrahi jure optimo possunt; ad Simpliciem videlicet Perceptionem, et ad Judicium, quod Ra-

tioenium , et Methodum , si propriè loqui velimus , includit.

IV. Methodus igitur non est mentis actio a ceteris reapsè distincta , ut nonnullis placuit ; benè verò ipsum Judicium , quò veritas aliqua hoc potius , quàm alio modo inquirenda , aut aliis exponenda suscipitur .

V. Simplex Perceptio est nuda contemplatio rei , quæ menti obversatur , quin de illa aliquid adfirmet , aut neget . Actio tamen Simplicis Perceptionis confundenda non est cum illa , quæ ideam audit .

VI. Est enim idea actionis ejusdem modificatio , quæ quamvis verum , perfectumque judicium non contineat , aliquam nihilominus judicii speciem præseferre videtur . Et licet ejusmodi modificationem efformari quodammodo a mente concedamus ad instar imaginis dati objecti , vera tamen , proprièque dicta imago dici neutiquam potest .

VII. Quarè ideam distingui formaliter a mentis perceptione , non autem ab ipsius modificatione sustinemus .

VIII. Diversitatem autem idearum pendere a diversitate objectorum , quæ ab ideis , modo suo , repræsentantur , nemo inficias ibit .

IX. Hinc corruit eorum opinio , qui suas ideas rerum expressas esse species putant .

X. Unum namque mentibus humanis inesse intellectum , cumque activum , et suà activitatè producere sibi in dies diversas ideas ad præsentiam diversorum motuum , qui fluidi nervi ope causantur in communi sensorio , seipsum videlicet modifieando , nemo non videt .

XI. Magna enim hujus fluidi nervi (quod etiam spiritus animales , vel vitales audit) est copia , quae modo mirabili , atque incredibili celeritate excurrit per nervos , et acceptam impressionem ad commune sensorium defert , indeque pro ratione vividioris , et debilioris impressionis , vividiores , debilioresque fiunt ab intellectu suae perennis actionis modificationes , hoc est ideæ ; hæque clariores , aut obscuriores :

XII. Quas suis respectivis objectis semper esse conformes dicimus ; ideoque semper veras : non tamen formaliter . Veritas namque formalis includit necessariò convenientiam integrum , aut dissidium totale subjectum inter , et attributum ; ideæ autem cum propriè non adfirment , aut negent de conceptis objectis , nullam talem exprimunt convenientiam , nullumque dissidium : igitur non sunt veræ formaliter .

XIII. Itaque ideis inesse statuimus repræsentationis veritatem , quam Peripatetici transcendentalem , seu in essendo barbarè dixerè .

XIV. Objecta enim , quæ repræsentant ideæ , ab his immediatè etiam includuntur ; quatenus nimirum intellectus ea cognoscit . Hinc ideas immediatè ad objecta ipsa terminare adserimus :

XV. Qnocircà evanescit opinio Scholasticorum adserentium , cognitiones non terminare ad objectum immediatè cognitum , sed ad illius quoddam simulacrum , quod in phantasie efformatur , quodque idolum materiale , idolum phantasticum denominavere :

XVI.

XVI. Quemadmodum et eorum , qui *verbū mentis* ,
et *conceptū objectivū* pro immediato cognitionis objecto
statuere:

XVII. Porro cum intellectus suā vi propria actiones
sese modificando producat (ex propo. x. ; et xi.) quum-
que ideae sint earumdem intellectus actionum modificationes
(ex propo. vi.) suā sponte fluit , eas omnes esse de novo
in codem intellectu .

XVIII. Quarē idea , quæ Deum repräsentat non est
innata

XIX. Sicuti nec illæ , quæ prima principia , aut axio-
mata sive moralia , sive speculativa exhibent:

XX. Tum etiam corruit opinio Malebranchii autumnan-
tis , mentes humanas eatenus modificari , seu ideas habere ,
quatenus quæcumque cognoscunt in Deo vident:

XXI. Tandem Occasionalistarum rejicimus opinionem
quorum judicio ideas omnes in humanis mentibus Deus per
se , et immediate producit.

XXII. Itaque ; sic , in nostro systemate , explicatis
ideis , dicimus eas esse judicii materiem . Nolumus tamen
judicium constare ex pluribus , sed esse simplicem mentis
actum , quod relationem convenientiæ , vel discrepantiæ in-
ter duas , aut plures ideas deprehendimus , easdemque vel
per adfirmationem conjungimus , vel per negationem sepa-
ramus .

XXIII. Hinc cum adfirmatio , et negatio ad intellectum
pertineant , dicimus , judicium esse actum intellectus , non
vero voluntatis .

XXIV.

XXIV. Mentis judicia, si verbis exprimantur , propositiones dicuntur ; et quemadmodum illa ratione objecti , ita et istae ratione subjecti diversum valorem , variamque habent extensionem.

XXV. Quadruplex autem propositionum præcipuum genus agnoscimus ; propositio videlicet vel est Universalis , vel Indefinita , vel Singularis , vel Particularis . Propositionum porro universalitatem aliam dicimus esse metaphysicam , quæ nullam patitur exceptionem , aliam moralem , quæ etsi aliquam possit exceptionem admittere , plerumque tamen vera est .

XXVI. In determinanda autem propositionum , præser-
tim indefinitarum (quarum est objectum indeterminatum)
quantitate sæpe homines errant . Ut igitur errori aditus præ-
cludatur , propositiones indefinitas dicimus in materia necessa-
ria , et impossibili æquivalere universali : in materia vero con-
tingenti distinguendas esse propositiones indefinitas doctrinales
ab historicis ; et illas *universalitate morali* semper esse
universales , has verò modo particulares , modo singulares ad-
firmamus .

XXVII. Singulis præterea propositionibus sua inest ve-
ritas , vel falsitas . Hinc defendimus unam ex duabus proposi-
tionibus singularibus , sibi contradictibus , de futuro even-
tu contingente absoluto libero , in se esse determinatè ve-
ram , alteram verò determinatè falsam .

XXVIII. Itaque licet unaquæque propositio suum deter-
minatum habere debeat objectum , ut verificetur quod enun-
ciat ; omne tamè propositionum , quæ aliquid impossibile
enun-

enunciant eliminamus objectum , quæstionemque omnem de
ente rationis ut inutilem improbamus.

XXIX. Quid igitur sentiendum est de objecto propositionum de futuro absolute libero? Dicimus primò illud semper habere in se formalem propriæ existentiæ rationem, hoc est determinationem ad existendum: quam in non existentia sui pro nunc , et ejusdem existentia pro postea constitui-mus . Quod et formale quidem est illarum propositionum verificativum, et intrinsecam constituit objecti existentiæ futuriæ rationew: quæ a Scholis dicitur *futuritio formalis* , quæque confundenda sanè non est cum illa , quam *causalem* di-xere , quamque objecto futuro extrinsecam esse adfirmamus.

XXX. Sunt judicia extrinseca, seu propositiones ratiocinii materies : igitur ratiocinium modo tractandum adgredi-mur . Quod cum sit quædam judicii species (ex prop. 111.) rectè actio mentis ignotum ex noto inferens dicitur ; aut cum Tullio = Ratio , quæ ex rebus percepit ad id , quod non perci-piebatur adducit . Atque dupli sub aspectu considerari potest , nempe metaphysicè , cum intellectus ab una ad aliā veritatem per illationem progreditur ; et physicè , cum idem intellectus conclusionis judicium finit , peragit perficit .

XXXI. Quocircà ratiocinium melaphysicè inspectum plu-ribus realiter inter se distinctis veritatibus contineri : physicè autem consideratum , in solo conclusionis judicio consistere , sustinemus .

XXXII. Ratiocinium ratione materiæ dividitur in de-monstrativum , probabile , et sophisticum , quod syllogisti-

cæ artis ope maximè elicitur : quam artem assequendæ veritatis omnium utiliorem esse dicimus . Verum secundum , et tertium non est cum primo comparandum , nec secundum cum tertio confundendum .

XXXIII. Demonstrativum enim ratiocinium syllogismi auxilio elicitum parit in mente scientiam : constat quippe hujusmodi syllogismus præmissis certis .

XXXIV. Probabilis verò syllogismus , probabile continens ratiocinium , in mente opinionem gignit ; cum una , vel utraque præmissarum probabili semper ipse contineatur .

XXXV. Neutiquam tamen syllogismus simpliciter probabilis dicendus est sophisticus : hic enim vero , cum semper propositionibus , seu judiciis falsis constet , nonnisi errorem continere potest , contra ac ille .

XXXVI. Hinc errant Malebranchius , et Huetius syllogismum probabilem cum sophistico confudentes .

XXXVII. Quiemadmodum et Michael Fardella , qui aperè statuit , syllogismum probabilem esse sophisticum , etiam si insignis , et maxima probabilitas habeatur .

XXXVIII. Dum enim hæc ita docent laudati Philosophi , ceteroquin doctissimi , Sceptismum promovere videntur . Ad quem convellendum duos statuimus argumentandi modos , duasque vias esse agnoscimus , quibus insistendum est in acquirendis cognitionibus , demonstrationem videlicet , et probabilitatem : quam varios habere gradus (quibus fides humana innititur) per quos devenir possit ad certitudinem , nemo nisi Scepticus inficiabitur .

XXXIX. Eam autem dicimus breviorem , clarioremque de-

demonstrationem, quæ rectè adhibito syllogismo perficitur, ut frustrè proindè adversus syllogisticam artem obstrepere censendi sint **Lokiūs**, et **Soria**.

XL. Confert enim plurimum syllogismus ad veritatem ob oculos ponendam, quum in eo, admissa præmissarum veritate, non possit intellectus veritati conclusionis refragari.

XLI. Eam tamen veram, propriamque demonstrationem esse inferimus, quæ in concatenatione consistit syllogismorum, quorum præmissæ nonnisi definitionibus, indubitatis experientiis, axiomatibus, et jam antea discussis propositionibus continentur.

XLII. Effrænorum igitur Scepticorum demonstratio nec recta est, nec in præsenti rerum ordine possibilis. Quinimò eam esse rectæ rationi contrariam, pessum dare omnem certitudinem, veramque evertere Religionem propugnamus.

XLIII. Non enim humanæ mentis brevitas, rerumque agnoscendarum difficultas, quibus Scepticorum tota innititur deliratio, motivum est sufficiens asserendi, de omnibus esse dubitandum: hoc quippè demonstrandi genus idem peccat peccatum, ac illud Scholarum, a dicto secundum quid, ad dictum simpliciter.

XLIV. Quarè licet humana ratio suos sibi a natura præstitutos limites habeat, extra quos prosiliens, nonnisi in tenebras offendat; plura tamen certa, tum per simplicem intuitionem, quum per demonstrationem sibi comparare potest: ut nullum proindè dubium habere quis possit, quin in humanæ cognitionis linea aliqua certitudo adstruenda sit:

XLV.

XLV. Secus enim actum est de tota hominum sorte : quum quæ divinitus nobis revelata sunt , rationis lumine agnoscamus : quæque frustâ nonnulli Scepticorum fautores cum Huetio, ab universali eximunt dubitatione , si rationis nostræ lumen sit ita infirmum , ut nullam certam cognitionem parere possit .

XLVI. Ut enim credamus veritatem rei divinitus revelationæ , oportet prius nos certos esse , tum de existentia revelationis , tum de auctoritate Dei revelantis ; si enim de alterutra dubitare licet , non posset huic dubitationi superstrui certa fides rei revelationæ ; atqui talis certitudo obtineri debet per lumen rationis : siquidem illa prærequiritur ad quemcumque actum fidei : ante fidem autem non affulget nobis aliud lumen , nisi lumen rationis : si igitur lumen rationis nostræ ita imbecille esset , ut nihil certi per illud cognosci possit , jam et ipsa certitudo fidei tolleretur .

XLVII. Quilibet tamen Philosophus in suis comparandis cognitionibus moderatum , et methodicum examen prius instituere debet , indeque rerum naturalium seriem , causas , nexus , ordinem , juxta vim , suique captum determinare .

XLVIII. In sola autem hac determinatione humani intellectus certitudinem consistere dicimus : eamque diversam , majorem , aut minorem esse , juxta diversam objectorum perceptionem , intensioremque determinationem , ultrò adserimus :

XLIX. Quæ certitudo eidem intellectui subjectiva quidem esse debet , quatenus est ipsius actio ; (ex prop. II.) non vero objectiva , ut nonnullis placet .

L. Ast nequit intellectus hanc sibi certitudinem comparare , nisi aliquo infallibili donetur medio , quod communiter criterium dicitur , cuius ope verum a falso discernat , cognitionum confusionem vitet , et claritatem , cuius est , capax , acquirat .

L.I. Porro Criterium hoc , seu hanc adeptæ veritatis , et certitudinis tesseram in evidentiâ , seu summa perspicuitate situm esse ducimus ; quæ et pacatae conscientiae testimonia , et sensu optimorum communi firmetur .

L.II. Triplicem hanc facimus evidentiâ . Quæ in rebus obtinet intelligibilius eam metaphysicam , seu mathematicam vocamus , quæ sanè in tali posita est modificationum , seta idearum claritate , ut ineluctabili vi mentem ad assensum rapiat .

L.III. Neque vero huic evidentiæ quidquam detrahunt demonstrationes , quæ ex propositionibus Euclidis . xxxv. , et xxxvi. in eam communiter congeruuntur ; aut ea , quæ ex propositione xvi. ejusdem Euclidis Lib. iii. efformari possent argumenta , qnæ nec a Peletario , nec a Clavio rectè sunt explicata .

L.IV. Omnes autem veritates rectè , evidentèque ex principiis deductas per ratiocinationem , metaphysica certitudine gaudere propugnamus ;

L.V. Quemadmodum et illas , quas intimi sensus testimonio perspectas habemus . Qui cum sit interna quædam motio , seu persuasio reminiscentiam semper includens , quæ Animus sibimet suarum affectionum , operationumque conscientis est , dicimus , illum tum præsentes , cum præteritas respi-

spicere affectiones , et operationes , proindeque veritates ; et immediate quidem præsentes , mediætè vero præteritas .

LVI. Physicam dicimus evidentiam , cuius ope de rebus sensibilibus certam adipiscimur cognitionem . Ea autem oritur ex vivida , constanti , et uniformi sensuum renunciatione , quæ ubi adsit , sensus minimè dicendi sunt fallaces .

LVII. Multa , circa hoc rerum genus , sensuum iudicia , seu renunciations plures simul ab usu , et experientia proveniunt : plures etiam , quæ sensuum renunciations consentur vel a solo usu , vel ab experientia originem trahunt , veluti , quæ visu ferimus circa corporum distantiam , figuram , et magnitudinem .

LVIII. Vocamus denique moralem , seu historicam eyidentiam illam , quam de facti alicujus existentia habemus ; quæ ex constanti quidem , et universalis hominum consensu de facto illo testantium , enascitur . Quod si factum aliquod nec constanter , nec universaliter testatum habemus , pro majori , vel minori testium numero , et gravitate factum ipsum , intra probabilitatis historicæ limites , majorem , minoremve merebitur fidem .

LIX. Hæc autem moralis certitudo cum vere summa est , et plena , ponderis eam ejusdem esse adserimus ac physicam , et mathematicam , seu geometricam . Nam omnis hominum status , societas , tranquillitas , bonum , vita denique ipsa hæc nititur certitudine , cuius fundamentis convulsis , aut nutantibus , actum foret de humano genere , actum etiam de scientia , et ceteris quibuscumque .

LX. Quapropter delirat Volterius in hanc moralem certitudinem plenam , et summam impetum faciens :

LXI. Sicuti et D. Craig geometricis computationibus involutus adserens , eam decrescere in ratione inversa distiarum ab origine facti : non desunt quippe paradoxa tum Circini , tum æquationum solemnia .

LXII. Non omnia aut metaphysicè , aut physicè , aut moraliter certò nobis innotescunt ; sed et multa per Analogiam cognoscimus . Hinc dicimus , argumentum ab analogia desumptum aliquando mereri assensum moraliter certum , aliquando verò probabilitatis non excedere gradus . Atque eo major , vel minor est probabilitas , quo majoris , aut minoris ponderis tum nostræ , tum aliorum sunt observationes .

LXIII. Ea autem , quæ probabiliter nobis innotescunt , licet in hypotesi sunt absolute fallibilia , non omnem tamen assensum excludunt . Quarè merito inferimus , assensum motivo absolute fallibili innixum non esse imprudentem .





DE MORALIBUS HUMANÆ NATURÆ ACTIONIBUS.

I. **M**oralis' humanæ naturæ actio illud est actionæ facultatis exercitium, quod prælucente intellectui, et libere determinante voluntate objectum particulare respicit.

II. Esse autem exercitium hoc modificationem quamdam illius exercitii physici, de quo prop. II. par. I.; et insuper ea inter se formaliter distingui sustinemus: *quatenus nempè et libera potentia promanat, et diversum hoc audit connotatum.*

III. Cum enim humana natura in virium Animæ, Corporique divinitus impressarum consistat complexu, unde actionum naturalium quidam exurgit infallibilis ordo; cumque naturalium causa sit Deus, non est cur quisquam refragetur, tam **morales** actiones esse naturalium liberas modificationes, quam eas ex cadem natura de novo oriri.

IV. Nova autem hæc, quæ fit actionum modificatio, aliquam semper humanæ naturæ, seu illarum virium complexui assert mutationem, cuius ope aut complexus ille, vel si mavis natura, perficitur, aut imperfectior redditur.

V. Quare, quæ modificationes perficiunt naturalem actionum statum, eas dicimus eidem esse consentaneas, indeque bonas; quæ verò illum imperfectiorem reddunt, eas disconvenientes, et inde malas esse pronunciamus.

VI. Cum autem nulla ex ejusmodi modificationibus, quæ humanæ naturæ aliquam semper mutationem adferunt (ex prop. III. et IV.) finge valeat, quæ actionibus naturalibus inducta, eadem non perficiat, aut imperfectiores reddat; nullam idcirco actionem moralem simul esse, et in individuo indifferentem affirmamus.

VII. Omnes porro, et singulæ morales hominum actiones in recta ratione, quæ Summa Rationis quædam est participatio fundamentum habent. Ipsa verò ratio in hominum natura inest, sine qua ne concipi quidem ea potest.

VIII. Cum enim homines libertate donentur; cumque ad sibi debitum, et proportionatum finem tendant, patet ipsis necessariam esse debere rectam quamdam, certamque normam, ad quam Morales, seu liberas suas actiones componant, ne falsa boni specie decepti, dum proprium insequantur finem, ab illo longissime recedant.

IX. Non est ergo dubitandum, quin providentissimus naturæ Auctor Deus eam normam hominibus ipsis concesserit. Hinc cum norma hæc ab hominis natura petita (prop. VII.)

VII.) jus naturæ vocetur , jam planè consequitur jus ipsum
naturæ existere.

X. Hoc autem naturæ jus a Deo hominibus concessum
legis proprie dictæ vim habere , et ab æterna lege , quam e-
xistere propugnamus , oriri , nemo inficias ibit .

XI. Numque cum lex æterna sit Dei Voluntas ordinem
naturalem conservari jubens , ac perturbari vetans ; cumque
ordine , et præcepto positis , ponatur regula , cuius auxilio
ipse ordo conservetur , et non perturbetur , et illis ablatis ,
hæc etiam auferatur , non est cur quisquam neget , hanc ab
illa originem sumpsisse .

XII. Est itaque lex naturalis omnibus hominibus com-
munis .

XIII. Est insuper apud omnes homines eadem .

XIV. Estque omnino immutabilis .

XV. Quare hanc naturæ legem veram inducere obliga-
tionem , cuius vi homo tenetur eidem legi suas actiones con-
formare , ex eo patet , quod nequeat ipse contra illam opera-
ri , quin se malè egisse , hoc est diffimeret propriæ naturæ
(ptop. V.) ex recta ratione percipiat , atque intelligat , se a
proprio fine aberrasse : duo hæc enim ad veram obligationem
inducendam et necessariò requiruntur , et simul sufficient .

XVI. Hanc autem veram , et propriè dictam legis na-
turalis obligationem immediate repetendam esse existimamus
ab actionis convenientia cum recta ratione , seu cum propriis
rectæ rationis dictatis , quæ legem ipsam naturæ constituunt
(prop. VII. et IX.) ; mediatè vero ab ejus humanæ naturæ
Auctore Deo .

XVII. Hinc **reluctamur** Puffendorfio , ejusque commen-tatori Barbeyracio , qui omnem juris naturæ obligationem ex una voluntate jubentis , et vetantis Dei immediatè derivant ; non inficiemur tamen ipsam Dei Voluntatem arctius efficere duplex illud , quod statuimus obligationis vinculum , quoties adjungatur .

XVIII. Nendum verò propriè dictam parit jus naturæ obligationem , sed suà etiam non destituitur naturali , et in-trinseca sanctione , quum actiones illæ , quæ sunt ipsi juri conformes , sint etiam intrinsecè delectabiles , et utiles , inju-cundæ verò , et noxiæ , quæ ab eo dissentient ; hæc tamen sanctio hujusmodi non est , ut valeat homines ad juris natu-ræ observantium sufficienter , ut oportet , alicere , et ex-citare .

XIX. Hinc laudis cupiditas , timor infamiæ , corporis temperies , et id genus alia , quæ Baëlius colligit , sufficien-tem sanctionem constituere non possunt , nec proinde homi-nes ad juris naturæ observantium sufficienter impellere .

XX. Externa igitur , et positiva sanctione indiget jus na-turæ , quæ omnes , et singuli homines ad ejus observantium satis aptè impellantur , quæ nimirum facile noscant , et abs-que ulla hæsitatione , sibi longè utilius esse , jus ipsum ser-vare , quam illud infringere , ut , quum pravis animi cupidi-tatibus agitantur iis possint ob-sistere .

XXI. Ad hoc autem plurimum conferre possunt leges humanæ positivæ , quas necessarias esse dicimus , ad viven-dum secundum rectam rationem , seu jus hoc naturæ :

XXII. Quæ , ut rationem legis habeant , vel in hoc ju-

re naturæ, vel in positiva Divina lege fundentur est opus:

XXIII. Neutquam tamen hæ humanæ leges perfectam juris naturæ sanctionem confidere valent:

XXIV. Quocircà dicimus, extrinsecam juris naturæ sanctionem veram, et sufficientem in altera, quæ superest, vita exequendam esse, eamque propterea in futura, post corporis mortem, retribuþione unicè constituenda.

XXV. Quarè, exclusa idea Dei Remuneratoris, aut Vindicis, alteriusque vitæ, nulla fangi potest vera, et sufficiens juris naturæ sancþio, atque proinde, licet homines sentire possent, se ad juris naturæ observantiam teneri etiam absque Dei cogitatione, et spe futuri præmii; utraque tamen necessaria est, ut eorum voluntas alliciatur ad honestatem.

XXVI. Jam verò honestas omnis desumenda est ab illa actionum cum hoc jure conformitate, ut inde, quod huic juri conforme, bonum, quod difforme, malum jurè dicamus.

XXVII. Malum idcirco formaliter acceptum in negativo constituiimus; bonum verò in positivo.

XXVIII. Bonitatem igitur, et malitiam esse humanæ naturæ actionum moralium qualitates, et illam quidem positivam, hanc verò negativam esse inferimus.

XXIX. Ejusmodi autem qualitates dicuntur communiter *moralitates*, quæ nonnisi iis inesse possunt humanæ naturæ actionibus, quæ liberæ sunt, quæque ad objecta particularia tendunt, eaque respiciunt, unde bonum, malumve particulaire, et specificum oritur.

XXX. Quarè propriè exprimi easdem actionum *moralitates*

tates posse tantum propositionum particularium ope , quæ scilicet sunt de bono , et malo particulari , aut specifico ; minimè verò propositionibus generalibus , vel indefinitis , quæ nimirum sint de bono , et malo in genere , constanter assentimus .

XXXI. Quemadmodum enim propositiones indefinitæ objecta , ideoque bona , aut mala in genere significare , et exprimere quidem possunt , non tamen in specie (ex prop. XXVI. primæ partis) ; ita neque ullam moralitatem propriè innuere valent , contra ac nonnulli falsò sibi persuaser .

XXXII. Vera igitur principia moralia , seu regulæ morum esse nequeunt , nisi propositiones , quæ determinant bonum in specie sequendum , malum in specie fugiendum , quibusque specificè distinguitur bonum sequendum a non sequendo , malumque fugiendum a non fugiendo .

XXXIII. Quum enim bonum in genere sit id , quod placet , quod displaceat verò malum ; quumque non omne id , quod placet sit sequendum , neque fugiendum omne id , quod displaceat ; patet non omne bonum esse sequendum , non omne malum esse fugiendum .

XXXIV. Cum itaque hæ duæ propositiones bonum est amandum , malum est fugiendum sint propositiones indefinitæ , ac de bono , et malo in genere , non autem in specie ; ideoque non distinguant bonum amandum a non amando , nec malum fugiendum a non fugiendo ; suæ sponte fluit , easdem neque moralitatem ullam innuere , neque principia moralia esse posse .

XXXV.

XXXV. Possunt tamen dici principia naturalia , quatenus necessarias humanæ naturæ innunt , exprimuntque inclinationes , et declinationes , quæ sunt de bono , et malo generatim accepto.

XXXVI. Ita enim cuicunque rationali creaturæ , velit , nolit , quemadmodum verum est percipiendum , et falsum repellendum ; ita bonum amandum , malumque declinandum , ut aliter fieri nequeat , quin humana natura penitus evertatur .

XXXVII. Quatuor autem in humana natura ejusmodi agnoscimus principia , quæ sunt præcipuae mechanicæ naturæ leges , quibus homines ad se , suumque genus conservandum , atque perficiendum feruntur . Est enim vero prima : propensio naturæ in verum generatim : secunda , propensio in bonum indefinitum , et summum ; tertia , propensio se conservandi ; quarta denique , stimulus veneris generatim .

XXXVIII. Neque id sine magna Supremi Numinis providentia fieri intelligendum est , ut homo non solè ratione , (quæ per seipsa , sine ullo affectu frigida est) ac libertate ad suum finem , eique adaptata media ducatur , sed vi etiam ipsius naturæ , ac irritatione quadam impellatur ut scilicet ubi ratione , ac libertate sit facile abuti , non possit non iis naturæ legibus obsequi , quibus irritatur , quæque , ut ille ait , surunt , et excogunt sub pectore .

XXXIX. Neque tamen per hoc quidquam humanæ naturæ detrahitur libertati , aut actionum moralium censui . Cum enim homines prius regantur iis inclinationibus , quæ rerum naturæ animali insunt , quæque naturales sunt : quum que

que *naturalia libertati subesse nequeant*, nihil sanè demonstratu facilius est, *humanæque naturæ accommodatius*, quam omnes humanas actiones, idest *m Morales*, provenire ex varia modificatione quatuor illarum legum naturalium (prop. XXXVII.); quæ variè modificatæ rationè, et conversationè, in peculiares evadunt inclinationes, aut declinationes, quibus, ut potè liberis, deinde moralis hominum natura regitur.

XL. Cum igitur hujusmodi inclinationum, aut declinationum modificationes, a recta ratione præceptæ, aut vetitæ, sint in morali ordine; cumquæ, quæ recta ratio præcipit, ac vetat, per se, et immutabiliter honesta sint, vel turpia, ipsæ quoque hominum *m Morales* actiones a jure naturæ imperatæ, aut prohibitæ, tametsi intelligentur ante voluntatem immediate præcipientis, aut vetantis Dei, intrinsecam honestatem, aut turpitudinem habere dicendæ sunt.

XLI. Quapropter absurdissima et Hobbii opinio, qui nihil naturæ suâ honestum esse, vel turpe, nihil justum, aut injustum, sed omnem justitiam, vel injustitiam potentia, et viribus dimidiendam esse contendit, ut tantum cuilibet liceat, quantum vi potest efficere.

XLII. Neque minus absurdum est, quod statuit Helvétius, a physica nempè sensibilitate, et personali lucro bonum, vel malum morale, justum vel injustum originem sumpsisse.

XLIII. Possent autem *m Morales* humanæ naturæ actiones, quæ respiciunt leges positivas, quæque ob circumstan- tias tales evadunt, extrinsecè bona esse, aut mala, vel si eædem actiones sine recta ratione sumantur, neque in hac

necessario fundari concipientur , ut nonnullis parum cautis visum fuit , tunc pariter ab extrinseco bonæ , aut malæ forent ; at cum hoc repugnet (ex prop. VII.) , ejusmodi hypothesis , ut morali ordini contrariam rejicimus .

XLIV. Quum enim homo quilibet , ruditis utcumque , et imperitus , dummodo rationis usum sit consecutus , ne- dum valeat honestatem a turpidine facile distinguere , sed naturali quodam affectione donetur , quæ ea , quæ honesta sunt necessario approbet , iisque delectetur ; quæ vero tur- pia necessario improbet , et aversetur , sequitur sensum mo- ralem turpitudinis , et honestatis homini cuilibet ab ipsa na- tura inesse : igitur sensus hic non hominum inventioni , non educationi , multoque minus eorumdem præjudiciis , ut scul- tè quidam opinati sunt , est tribuendus .

XLV. Quod si ea , quæ in morali sensu habentur , ri- tè perpendantur , apertissimè constabit , ipsum non esse ni- si animi facultatem propriam , et naturalem in natura hu- mana , rectaque ratione fundatam (ex prop. III. et IV.)

XLVI. Quarè Auctor libri Naturæ quammaximè in eo delirat , dum vult , sensum hunc esse sextum quendam cor- poreum organicum sensum , aliis quinque planè similem , aut analogum .

XLVII. Dum vero moralém honestatis , et turpitudinis sensuum sedem in animo habere , ejusque facultatem esse contendimus , non hanc profecto a ratione , vel a voluntate distinguiamus , sed ab utraque simul derivandam esse existi- mamus (prop. I.) : non enim nisi rationi videtur esse tri- buenda relationum perceptio , quibus honestas , aut turpitu- do

do determinatur, neque nisi voluntati tribui posse perspicitur actionum illa approbatio, vel improbatio, quæ ex eodem morali sensu nascitur, nec non voluptas illa, vel molestia, quæ ex honesta, vel turpi actione afficitur.

XLVIII. Itaque actionum moralium natura sic explicata, et intellecta, dicimus, quo sæpius cædem, sive similes actiones ab hominibus exercentur, eo majorem easdem patrandi facilitatem ab illis comparari. Undè in hominibus morales oriuntur habitus, quos, ex repetitis actionibus moralibus, in eorum voluntate generari inferimus.

XLIX. Quamobrem sicuti actiones ejusmodi a natura rationali de novo fiunt (ex prop. III.), ita et habitus ex illis enascentes, quos ideo innatos neutquam esse posse tuemur. Excipimus tamen ab his illos habitus supernaturales, videlicet **Fidei**, **Spei**, et **Charitatis**, quos vi Baptismatis, in Christi fidelium animam infundi docent Theologi.

L. Morales idcirò habitus bonos dumtaxat, vel malos esse posse statuimus, quemadmodum bona, aut mala sunt actiones morales (ex prop. IV. V. et VII.).

LI. Quum autem habituum moralium ope hominis voluntas, vel perficiatur, vel reddatur deterior, dicimus, morales habitus bonos esse virtutes, malos verò vitia.

LII. Quatuor itaque præcipuas morales agnoscimus virtutes: nempe **Prudentiam**, **Justitiam**, **Fortitudinem**, et **Temperantiam**, quæ naturæ rationalis sunt veluti cardines, quibus innititur, et sine quenis ea minimè subsistere potest.

LIII. Singulis autem virtutibus sua opponi vitia, quæ nonnisi ex illarum oriuntur abusu, facile perspicitur. Vel enim:

enim quis illis utens virtutibus , ultrà quam fas est , excedit , et per *excessum* abuti iisdem ; vel non exequitur id omne , quod virtutes præscribunt , et per *defecsum* iisdem abuti dicitur .

LIV. Jam vero tam laudatæ virtutes , quam illis opposita vicia cum sëpe numero exercentur , foventurque , ita hominibus quodammodo naturalia evadunt , ut ea extirpare , et auferre sit moraliter planè impossibile .

LV. Radicatis autem ita in natura virtutibus , aut vitiis , enascuntur inde hominum mores , quos ex virtutibus bonos , ex vitiis vero malos esse dicimus .

LVI. Hinc cum mores nihil aliud sint , nisi quædam operandi consuetudo , vel secundum , vel contra legem ; cumque operationes ejusmodi media sint ad felicitatem , vel ad miseriæ ducentia , adserimus mores bonos esse media ad felicitatem , malos vero ad miseriæ .

LVII. Unde consequitur , viciis irretitos homines miseria detineri ; virtuosos autem felicitatem perfungi debere .

LVIII. Humanam itaque felicitatem eam esse dicimus , quæ in statu constanti voluptate prædicto , omnique miseria destituto , consistit .

LIX. Hujus felicitatis objectum collocandum certè non est in eo ; quod affectibus , et cupiditatibus quantum consentaneum est , ut nonnulli stultè opinati sunt ; vel in bonis carnalibus , ut Epicurus , vel in voluptatibus corporeis , ut Aristippus , et Mahummedes ; vel in bonis fortunæ , ut volunt Avari ; vel in dignitatibus , ut Superbi ; aut in horum omnium collectione , ut alii somniarunt . Imò neque statui de-

debet in contemplatione rerum Cælestium , ut Anaxagoras ; aut in cognitione perfectionis virtutum , ut Pythagoras ; aut in animi tranquillitate , et securitate , ut Democritus ; aut in sola virtute , ut Zeno ; aut in statu virtute prædicto , ut Aristoteles , aliquique dixerit . Sed in bono infinito tantum , seu summo collocandum est .

LX. Cum igitur ex necessitate propriæ naturæ omnes homines sequantur bonum , malumque aversentur ; cumque in bono sita sit humana felicitas , dicimus omnibus innatum esse felicitatis appetitum .

LXI. Non inde tamen inferendum est , perfectam homines in hoc unionis statu acquirere posse felicitatem , qui , cum in eo potissimum , quod ad cognitionem boni , vel malii spectat sæpe decipientur , nonnisi manca , et imperfecta perfrui valent felicitate .

LXII. Ergo in altera dumtaxat vita perfectam felicitatem homines obtinebunt : Ad quam acquirendam necessariam prorsus esse dicimus . Fidem in Deum , Deique gratiam , sine quibus fieri haudquaquam potest , ut illam homines plenò virtutis exercitio consequantur .

..... Si quid novisti rectius istis
Candidus imperii ; si non , bis utere mecum ..

NOI RIFORMATORI DELKO STUDIO DI PADOVA.

*A*vendo veduto per la Fede di Revisione , ed Approvazione del Pubblico Revisor D. Angelo Pietro Galli , nel Libro intitolato : Philosoficum Specimen de Homine Auctore Patre F. Andrea Dorotich Ord. Min. Sacrae Theologiæ Lectore Generali . Stampato, c M.S. Non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica , e parimente per attestato del Segretario nostro , niente contro Principi , e buoni Costumi , concediamo Licenza a Simon Cordella Stampator di Venezia che possi esser stampato , osservando gli ordini in materia di Stampe , e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Ventzia , e di Padova .

Data li 8. Agosto 1795.

(AGOSTIN BARBARIGO RIFORM.

(PAOLO BEMBO RIFORM.

(ZACCARIA VALLARESSO RIFORM.

Registrato in Libro a Carte 27. al Num. 6.

Marcantonio Sanfermo Seg.

Adi 10. Agosto 1795.

Registrato a Carte 187. nel Libro degl' Illmi , ed Eccni.
Sig. Esecutori contro la Bestemmia .

Antonio Cabrini Seg.